Quibus e fontibus Joannes Zonaras hauserit annales suos Romanos.

Qua commentatione
ad
publicam explorationem progressuum
quos
quinque ordinum alumni
gymnasii Lauenburgensis
in optimis literis fecerunt
diebus XXIX et XXX M. Martii ab hora matutina IX et pomeridiana III
instituendam
et ad
actus sollemnes
die XXXI M. Martii ab hora matutina IX
rite habendos
proceres reipublicae
praesides hujus civitatis et scholae
omnes omnino rei scholasticae fautores
ea qua par est reverentia
invitat
et
ut frequentes conveniant
rogat quam observantissime

C. L. E. Zander,
director et professor.

Raceburgi MDCCCXXXXIX.
Typis excudebat H. H. C. Freystatzky.

49

Quum improviso mihi casu prorsus necopinanti accidisset, ut ab amicissimo collega Aldenhovenio rogarer, ut ex instituto nostro perquam laudabili programmatis scholastici hoc anno scribendi partes ipsius sustinerem et ad indicenda gymnasii nostri sollemnia aliquid praefarer, dissertatiunculam de fontibus, e quibus hauserit Joannes Zonaras annales suos Romanos, ex schedis meis proponere potissimum duxi. Quo mihi profecto nullum jucundius honestiusque obtigisset negotium, nisi misserrima foret hujus rei caussa ac luctuosissima. Neque enim laetum sane est impedimentum, quod obstat collegae carissimo, quominus muneris rationibus satisfaciat, sed infirma atque etiam aegra valetudo, qua jamdiu conflictatus est. Graviter, mi Aldenhoveni, omnino te afflixit fortuna, qui non item ut antea vitae muneribus fungi possis. Sed prolixam et propensam erga te simul agnosti voluntatem summe venerandi consistorii Lauenburgensis, quod, ut succedat vicarius tuo muneri, summa liberalitate decrevit. Te vero ut servet protegatque Deus optimus maximus tibique bonam salutem valetudinemque praestet supplices oramus atque precamur.

Ex omnibus omni aetate Joannis Zonarae libris praestantissimum habitum est annalium sive *χρονικόν* in partes tres ab Hieronymo Wolfio, in duas partes et libros duodeviginti a Cangio divisum opus, quo omnem generis humani historiam inde a rerum origine ad sua tempora usque i. e. ad obitum imperatoris Alexii Comneni sive ad annum post Christum natum 1118

deduxit. Nam etsi ob theologica sua opera, inprimis ob expositionem canonum apostolicorum, magni aestimabatur, nec minima ejus in ecclesia Christiana fuit auctoritas, propter historiam tamen adeptus est maximam inter posteros laudem; nec immerito. Est enim Joannis Zonarae historia plane diversa a ceterorum Byzantinorum in historia moliminibus, et omnium illorum luminibus dici vix potest, quantum offecerit Zonaras, qui eos in arte scribendi infinito antecedat, et usque eo ab iis differat, ut eum, etsi non bonum historicum ac cum Herodoto vel Xenophonte vel Thucydide comparandum, proxime tamen inter temporum illorum homines historiam attigisse dicamus. Modo ab homine Constantinopolitano saeculi undecimi et duodecimi post Christum natum ne ea exigamus, quae ob populi illius urbisque indolem et saeculi illius ingenium nullo pacto exigi debeant. Nemo ergo in Zonara Thucydidem quendam vel Tacitum aliumve melioris notae scriptorem quaerat; neve Zonaras noster πραγματικοῦ et reliquis titulis mactetur. Atqui tulit hoc illorum temporum fortuna, ut, quamvis res gestae male scriberentur, colligeretur tamen rerum copia et bona interdum materia conferretur, in qua alii aliquando melioribus aetatibus elaborarent. Fuit enim ista illorum saeculorum indoles et conditio, ut scriptores rerum potius studiosi, quam orationis et compositionis, magis in augendis doctrinae copiis, quam in retinenda orationis sanitate et ponerent laborem et proficerent. Nec dispar est ratio Zonarae, quippe qui talem tantamque rerum copiam aliam ex alio scriptore collegerit, ut cum aliorum librorum, tum eorum, qui ex Dionis Cassii historia Romana temporum injuria interierunt, superstitem servaverit magnam partem ideoque permulta lectu digna attulerit. Et profecto Niebuhrius ille historiarum Romanarum inter nostros conditor, idoneus certe si quis alius hujus rei arbiter, cujus perfecti literatoris recordamur non sine debita gratiarum actione, primus fuit, qui publice et intentius ad Zonaram legendum viros doctos vocaret, et ut rebus, quas ille offerret, utilissimis libenter fruerentur, admoneret. *)

*) Cf. Niebuhr's Römische Geschichte. 1. Ausgabe. Th. 2. p, 27. Anm. 31. „Ich habe diesen „Byzantiner schon früher, und werde ihn noch „häufig mit grossem Vertrauen und Dankbarkeit „anführen. Es ist bekannt, dass seine ältere römi„sche Geschichte, von Aeneas bis auf die Zerstörung

Hunc Zonaram res a Dione Cassio permultas gravissimasque mutuatum esse, in dubium vix potest vocari. Itaque quum, quae restant e prioribus Dionis XXXIV libris, qui perierunt, pauca ea sint et minuta, nos ei multum debere confiteamur. Jam etsi hoc ex animi sententia dico, difficile tamen video esse, de virtutibus Dionis Cassii dicere; sed hujus scriptoris scripta recensere non nostri consilii est, nec virium nostrarum. Relinquemus igitur hanc rem potiori alicui viro docto, nobis saltem doctiori. Ceterum de Zonara ejusque, quae cum Dione intercessit, necessitudine, quid aliis sentiant, nescio, mihi quidem Dionem Zonaras potissimum exscripsisse videtur. At vero permulti in Zonarae annalibus inveniuntur loci, qui iidem sunt in vitis virorum Romanorum a Plutarcho conscriptis, ut in vitis Romuli, Numae, Publicolae, Camilli, aliorum. Nimirum; sed exstant etiam Dionis fragmenta, quae ad verbum ex Plutarchi Sulla transscripta sunt.*) Itaque aut fallor, aut ex Plutarcho Dio Cassius in conscribenda veterum Romanorum historia mutuatus rem suam congessit. Zonaras enim cum in prooemio annalium suorum,**) tum in fine libri noni, quod post Corinthum eversam sexaginta annorum historiam

---

„Korinths, das letzte Drittheil des ersten Tomus „nach seiner eigenen, das siebente bis zum neunten „Buch nach Du Fresnes Abtheilung, nichts als ein „Auszug aus den verlornen Büchern des Dio Cassius „ist: ein Auszug worin er, wie Konstantins Eklogen „darthun, häufig die Worte seines Originals beibe„halten hat, wo er durch Auslassen hinreichend ab„kürzen konnte; oft aber auch, wie die höchst vul„gäre und fehlervolle Sprache beweisst, eine eigene „Einkleidung giebt. Jenes ist zum Glück an allen „Stellen, wo er von der Verfassung redet, im Wesent„lichen unvermeidlich für ihn gewesen, weil er von „allem dem, worüber er schrieb, nichts weiter ge„wusst zu haben scheint, als was vor ihm lag. An „Verfälschung ist bei ihm nicht zu denken. Es ist „ein grosser Nachtheil, dass sein Werk nur für die „Zeiten beachtet worden ist, wo uns andere Nach„richten fast ganz fehlen. Jene drei Bücher hätten „dem Dio Cassius vorgedruckt werden sollen.

*) Cf. fragmenta Peiresciana 121—124, et Ursiniana 173—176. Itaque Henricus Valesius Dionem ad furaces ac plagiaries Graecos adscribit.

**) Cf. cap. 2. ubi est: *οὔτε γὰρ βίβλων ἴσως μοι εὐπορῆσαι γενήσεται ὅσαι μοι χρειώδεις ἐστὶ πρὸς τὸ σύγγραμμα.* Et libri IX. capite 31: *τὰ μὲν οὖν μέχρι τοῦδε πεπραγμένα Ῥωμαίοις, βίβλων τυχὼν τῶν πάλαι ταῦτα ἱστορηράντων ἀρχαίων ἀνδρῶν, ἐκεῖθεν ἐξείληφα κατ᾽ ἐπιτομὴν καὶ τῷ συγγράμματι ἐντέθεικα, ἐπὶ δὲ τοῖς ἑξῆς ἃ τοῖς ὑπάτοις καὶ τοῖς δικτάτορσιν ἐπράχθη, οὐ ῥᾳστώνῃ μοι τὰ λείποντα παρεώραται, οὐδ᾽ ἡμιτελὲς ἑκὼν τὸ πόνημα καταλέλοιπα, ἀλλ᾽ ἀπορίᾳ βίβλων, αἵπερ αὐτὰ διεξίασι κ. τ. λ.*

eamque gravissimam et relatu dignissimam ex opere suo excidere passus sit, librorum penuriam excusat; quid quidem fieri non potuisset, si omnes ille libri, quorum e lectione lexicon, quod condidit Zonaras, prodiit, tum ei ad manus fuissent. Hoc vero hic moneamus, quum plurima horum operum cum aetate et persona Zonarae optime conveniant, lexicon graecum a Tittmanno in lucem protractum egregieque editum nullo modo Zonarae nostro posse assignari. Cum pace doctissimi viri, qui diu haesitans Zonarae nomen in lexico illo inscripsit, sententiam nostram proferamus. Nos enim valde dubitamus, num lexicon illud Graecum, quod Tittmannus vir clarissimus edidit, ab eodem illo Zonara compositum scriptumque sit, qui est annalium auctor; aut si lexicon et annalium opus ab uno eodemque scriptore confecta sunt, non dubitamus, quin certum esse videatur, annales multis annis ante lexicon conscriptos esse. Quae nostra sententia in eo maxime nititur, quod annalium priores XII libri ex septem tantum fontibus, sacri codicis versione Alexandrina, Josepho, Dione, Plutarcho, Xenophonte, Herodoto, Eusebio promanasse videntur, quum in lexico ducenti fere scriptores Graeci laudati nominatique sint plurimaeque voces transscriptae ex iis ipsis auctoribus, qui ad annales condendos multam Zonarae operam praestitissent, ut e Polybio aliisque. Etiam ex Dione Cassio, Plutarcho, Josepho, quos in annalibus suis exscripsit, in lexico paucissimos locos recenset. Lexicon illud igitur aut Zonaras iste, qui annalium auctor est, plane non scripsit, aut multo posterius, postquam omnis illa librorum copia, quam desiderat in annalibus, ei contigit. Quod vero vix statui posse existimamus, quum annalium auctor, si postea illos libros, quorum ope lacuna ista libri noni expleri potuisset, nactus fuisset, opus suum denuo recensere omniaque ea, quae primis curis vel neglecta vel omissa erant, reparare et addere dubitaturus non fuisset. Itaque lexicon Tittmanni aut ab alio quodam Zonara, aut a nescio quo viro docto confectum esse putamus.

Sed redeamus ad rem propositam. Nos quidem non dubitamus, quin Zonaras compilator compilatore Dione usus sit. Sed quomodo factum est, ut ille per totum temporis spatium inde ab eversa Corintho usque ad Pompejum non haberet, quem exscriberet? Unde haec librorum penuria, quum initio libri decimi aliud reperiatur in vitis Pompeji et Caesaris a

Plutarcho editis, aliud in Dione? Integrum igitur Dionem de his rebus Romanis referentem ad manus non habuit ideoque penuriam librorum queritur, *) nam si vitas Marii et Sullae a Plutarcho conscriptas non habuit, quidni Dionem transscripserit in describenda illa aetate, qui, quod supra demonstravimus, Plutarchum vitam Sullae persequentem exscripsit?

Sed mirum est utique, Plutarchum bis tantum, quod sciam, **) laudari a Zonara, Dionem saepissime, ***) inprimis ubi hic superstitiosa captus religione vanis miraculis ac portentis credulum se ostendit, sicut alios auctores permultos, quorum e libris annales composuerit, velut Josephum, Appianum, Eusebium, alios. At vero Plutarchum Dio testem identidem citat et auctorem. †) Nec difficile fuerit intelligere et ad magnam verisimilitudinem explicari potuerit, eos locos ex Plutarcho allatos in libris Dionis perditis, in quibus solis inveniri poterant, multo saepius, quam in fragmentis, quae forte fortuna servata sunt nobis, inveniri potuisse. Quare in eam cogitationem incidi, ut mihi quidem haec ita consideranti ordineque legenti Zonaram, Dionem, Plutarchum subjici quasi oculis videatur, Zonaram in manu habuisse perpetuo libros Dionis adque eos in conscribenda historia totum se applicuisse, neque minus usum esse Plutarcho, cujus ex operibus aliud commutaverit, suppleverit aliud aut copiosius descripserit vel ornaverit, prout unum alterumve ad rem adumbrandam vel utile vel necessarium videbatur. Legas, quaeso, lector benevole, Zonarae libri VII caput 22, quo agitur de proditore illo ludimagistro, qui tradere Camillo Faliscorum pueros perque eos totam civitatem in animo habuit; compara hunc Zonarae locum cum capitibus Plutarchi nono et decimo, quae exstant in vita Camilli; compara cum Dionis fragmento XXVIII Peiresciano; intelliges sine ulla dubitatione, si quidem respexeris ad brevitatem illarum reliquiarum, in quibus multa sunt mutila et quasi decurtata verba, Zonaram non ex uno Plutarcho, sed e Dione etiam illam narratiunculam sumsisse.

Ex his igitur locis collatis Zonaram et Dione et Plutarcho usum esse intelligimus, sed

*) Idem queritur cap. 4 prooemii: *εἰ καὶ μὴ πάντα, ἐνδείᾳ βίβλων τῶν ταῦτα διηγουμένων κ. τ. λ.*

**) Lib. IX, c. 23. X, 20.

***) Cf. III, 7. X, 31. 36. XI, 24. XII, 2. 9.

†) Cf. fragmenta 38, 133.

quum Dio historiam suam nimis exili oratione confecisse aut mere commentarios consignasse historiae videretur, Plutarchi libros ad copiosius et diligentius conscribendos annales et ad exornandam orationem animi sententia et voluptate ductum transscripsisse, ne homines quosdam insigniores vel negligeret vel levius tractaret. Dio autem, qui fragmento XXXVIII auctorem suum laudat Plutarchum, qua ratione hunc scriptorem ad id, quod sibi proposuerat, consequendum adhibuerit, ex his locis intelligimus comparatis. Scribit enim Dio de Cinea Pyrrhi regis illo familiari: *καὶ γὰρ ἦν δεινὸς φησὶ Πλούταρχος ἐν τῷ λέγειν, καὶ τῷ Δημοσθένει μόνος ἐν τῇ δεινότητι παρισούμενος.* At apud Plutarchum in vi a Pyrrhi cap. 14 hoc legitur: *ἦν δέ τις Κινέας Θεσσαλὸς ἀνὴρ, τῷ μὲν φρονεῖν δοκῶ ἱκανὸς εἶναι, Δημοσθένους δὲ τοῦ ῥήτορος ἀκηκοὼς ἐδόκει μόνος, ἢ μάλιστα τῶν τότε λεγόντων, οἷον ἐν εἰκόνι, τῆς ἐκείνου δυνάμεως καὶ δεινότητος ἀναμιμνήσκειν τοὺς ἀκούοντας.* Quos locos, si comparaveris, Dionem intelliges auctore suo ad suum arbitrium usum fuisse ac multo liberius, quam Zonaram, qui, quibuscunque potiri potest, minuto studio collegit omnia, maxima minima in unum coegit, ideoque librorum penuriam deplorat, dum alia multa omittit Dio, addit alia e sententia sua.

Quam autem rem a Zonara omissam querimur, et jure quidem, opinor, ratio est annorum, cujus omnino negligens est et socors. Etsi vero legitur *τῷ δ' ἑξῆς ἔτει* illud saepissime in annalibus, nobis tamen incerto est vestigio errandum. Hac in re longe superatur a Dione, ubique diligenter tempora distinguente.

Itaque si verum quaeris, res ita se habet, ut e Dione Zonaras tamquam fonte suo ac capite profectus esse et plurimum ab eo traxisse, verum tamen quidquid annalibus constipandis ornandisque et historicae orationis succo ac sanguini incorrupto et naturali pulchritudine inserviret, e Plutarcho arripuisse videatur. Neque enim ei literarum atque eloquentiae flos, qui post Antoninos exaruit in orbe Romano, neque in Graecorum animis insita vis vigorque tabescens et exilis Dionis oratio satisfecit. Id vero mirum nobis potest videri, Zonaram tam affabre annales suos composuisse, ut rarissime ex ipso appareat, ubi a Dione relictus ad alios auctores transierit, nam neque genere dicendi, nec verborum delectu diversus est in postrema libri XII parte a prioribus voluminibus, ubi Dionem presso pede

secutus est, verum enim vero e prooemio annalium *) plenam historiae conscribendae cognitionem consequimur, ubi est: *ἐκ πολλῶν γὰρ βίβλων τὰς ἱστορίας ἐρανισάμενος, ἔν γε πολλοῖς ταῖς τῶν συγγραφέων ἐκείνων χρήσαιμην ἂν συνθήκαις καὶ φράσεσιν, ἐν ὅσοις δ' ἂν καὶ αὐτὸς παρῳδήσω ἢ παραφράσω, πρὸς τὸν ἐκείνων χαρακτῆρα τὴν ἰδέαν τοῦ λόγου μοι μεθαρμόσομαι, ἵνα μὴ ἀσύμφωνος αὐτὴ ἑαυτῇ δοκῇ ἡ γραφή.*

Jam vero descendamus ad res singulas. Fine libri sexti Zonaras noster Romani imperii saepius facta mentione, necessarium se habere professus, lectores admonere, qui Romani fuerint, unde orti et per quos casus, per quae rerum discrimina totius fere orbis terrarum imperium sibi comparaverint. De his vero ita sibi dicendum esse putat, ut longitudine narrationis, quantum fieri possit, in libellum contracta vitataque verborum copia, facilius historia intelligi memoriaque teneri possit. Capite autem primo septimi libri de Aeneae in Italiam adventu, de foedere cum Latino inito, de bello cum Turno Tyrrhenisque gesto agit. Quae quin ex Dionis historia sumta sint, non dubito, si quidem ex comparatione cum excerpto Valesiano tertio id conjicere licet. Sed fragmentum hoc ex Tzetzae in Lycophronem scholiis **) depromtum non ipsa Dionis verba exhibet, sed a scholiasta quasi decurtata et in brevius spatium coarctata, ita ut multa exciderint, multa fortasse etiam ex aliis scriptoribus excerpta in Dionis verba comportata sint. Mittamus cetera hujus capitis, ubi de Aeneae obitu, de regibus Albanis deque Romuli Remique infantia agitur, quae omnia hausta esse e Dione videntur, quum nonnulla Zonarae verba in Dionis fragmento eodem eadem reperiantur, etsi modo Zonaras, modo Dio Cassius in rebus enarrandis fusior ac copiosior sit. Ceterum quin hoc fragmentum Dionis verba non integra exhibeat, sed in brevius contracta, non est dubium, quum, quanta sit fides excerptis suis habenda, ipse scholiasta fragmento XI indicet, quo scribit; *ὡς ἱστορεῖ πού ἢ Διόδωρος ἢ Δίων, οὐ γὰρ ἀκριβῶς μέμνημαι*; non ubique igitur suos ipse libros inspexit. Hoc vero tantummodo monendum est, in Zonarae textu, qui dicitur, praeeunte Dione, scribendum esse *Κάπυς* loco *Πάδις* vel *Πάστις* — ibi

*) Cf. cap. 2. extr.

**) Cf. scholia ad v. 1232.

Livius tres appellat reges, Atyn, Capyn, Capetum — et Ἀβεντῖνος sive Ἀουεντῖνος pro Λουεντῖνος.

Caput secundum, quo Romuli Remique ingenia et naturae bona, ut teneret animos legentium descripsit, praesertim quum generosi viri contemplatio eandem delectationem habeat, quam scenae tragicae miracula, hoc igitur caput totum fere in Plutarchi Romulo legitur et omnia fere Zonarae verba in Plutarcho invenies. Sed tamen in vita Romuli complures sunt loci, quibus Zonaras praeter Plutarchum alium quendam auctorem sequitur, veluti verba capitis tertii: ὡρμημένοις δὲ πρὸς τὴν τῆς πόλεως δόμησιν διαφορὰ συνέβη τοῖς ἀδελφοῖς περί τε τῆς ἀρχῆς καὶ περί τῆς πόλεως, καὶ διὰ μάχης ἐχώρησαν, ἐν ῇ ὁ Ῥῶμος ἀπέθανεν, et paullo post: ὀκτωκαίδεκα δ' εἶναι Ῥωμύλος ἐνιαυτῶν ἀναγέγραπται ὅτε τὴν Ῥώμην συνῴκισεν. Ἔκτισε δὲ αὐτὴν περὶ τὴν τοῦ Φαυστούλου οἴκησιν. ὠνόμαστο δ' ὁ χῶρος Παλλάτιον, non leguntur in libro Plutarchi. Haec verba Dioni videntur deberi, quem Zonaras semper ad manus habuit, et unde ea petiit, quae a Plutarcho praetermissa, sed memoratu digna videbantur.

Ex his jam, quae recensuimus, capitibus Zonaram Plutarchum saepissime habuisse auctorem, quem in annalibus suis sequeretur, atque ita Plutarchum Dioni praetulisse, ut, ubi vita a Plutarcho conscripta aliqua exstaret, Dionis historiam extemplo negligeret, satis liquet. De antiquissimis Albanorum regibus deque Aeneae in Italiam adventu nihil erat, quod Zonaras e Plutarcho excerperet, quum hic in exordio vitae Romuleae et a vulgari opinione plurimum recesserit et de scriptorum munero variisque eorum placitis ita disputaverit, ut in Zonarae opere, quo ipse non inquirere res et varias scriptorum relationes examinare et probare, sed probatas solummodo referre volebat, tam doctae longaeque disquisitiones locum habere non possent. Quam ob rem antiquiora haec ex Dione transscripsit. Ubi vero continua oratione Plutarchus Romuli casus eventusque narrare coepit, relicto statim Dione ad Plutarchum, quo auctore jam supra in Artaxerxis et Alexandri Magni vitis usus erat, revertitur. Neque hoc nostro tantum fit loco, sed in reliquis etiam ubique idem reperimus, ita ut pro certissimo profiteri possimus, Plutarchum in Romana historia usque ad

Octavianum Augustum nunquam prorsus a Zonara neglectum esse atque omissum, sed ubi illius vitae exstabant, ex his historiam Romanam esse collectam; ubi vero ejus nullae erant, unius Dionis volumina evoluta ab eo esse, ut in vacuis illis spatiis, quae inter Numam et Publicolam, inter Publicolam et Coriolanum, inter Camillum et Fabium, Marcellum, Flamininum, Catonem, Paullum Aemilium intercedant, ex Dione historia confecta atque contexta esse videatur. Plures quidem Plutarchi vitas Zonaram in codice suo, qui quasi mutilatus fuisse videtur, non habuisse, mox demonstrabimus; sed in ejusdem temporis historia etiam Dionis sui exemplar erat mutilatum, quam ob caussam omnes illas Romanorum res, quae inter Corinthum dirutam vitamque Pompeji Magni gestae sunt, ut supra jam diximus, silentio praeterit Zonaras.

Numae Pompilii regis historiam capite quinto eadem ratione a Plutarcho Zonaras mutuatus est, nisi quod brevius narrat, quae a Chaeronensi multo verborum ambitu relata sunt. Postquam vero interregni post Romuli obitum instituti mentionem fecit, auctor quidem addit, se non fugere de interregno hoc alia quoque — quam quae Plutarchus scripsit, sine dubio audiendum est; sed cur Plutarchi nomen dissimulaverit, non facile intelliges, quum Dionem laudet auctorem suum — jactata esse; se vero ea esse secutum, quae sibi probabiliora viderentur. Haec autem ad Dionem procul dubio referenda sunt, quem cum Plutarcho in contexendo opere suo comparavit. Unde factum esse videtur, ut Numam octoginta tres annos vixisse dicat, quum Plutarcho teste non multum octogesimum annum excesserit; nisi forte apud Plutarchum capitis XXI verba: *ἐτελεύτησε δὲ χρόνον οὐ πολὺν τοῖς ὀγδοήκοντα προςβιώσας*, in *χρόνον τριετῆ τοῖς ὀγδοήκοντα* mutare velis, quae est lectio Zonarae. Plutarchus enim plurimis in locis e Zonara emendandus est.

Tulli Hostilii historia resque gestae, Plutarcho deficiente, ex Dione petitae sunt, cujus fragmentum, satis quidem parvum, in electorum commentariis Constantini Porphyrogenetae exstat. Capite septimo Anci Martii res gestae brevissime recensentur, et capite octavo uberius Tarquinii Prisci historia narratur. De Anco nulla servantur Dionis verba, sed de Tarquinio Prisco magnum superest fragmentum, in quo singula fere Zonarae verba reperies,

quae hic transscribere longum est. Neque minus eorum, quae capp. IX. X. XI. de Servio Tullio et Tarquinio Superbo, de Lucretia stuprata et Tarquiniorum fuga Zonaras refert, Dio est auctor, cujus duo satis longa fragmenta *) fidem faciunt.

Capite duodecimo inde a verbis: *ἐκ δέ γε Ταρκυνίου πρέσβεις εἰς Ῥώμην ἧκον* Plutarchum sequitur, **) quo praeeunte bella cum Tarquiniis et Porsenna Etrusco, bellum Sabinum et Appii Claudii transfugium, denique Valerii mortem narrat. De quaestoribus autem, quos instituit Valerius, nonnulla a Plutarcho diversa tradit aut suo ingenio usus — antiquorum enim Romanorum mores et instituta paullo copiosius explicare solet ***) — aut Dionem hac in re secutus.

A medio inde capite decimo tertio usque ad caput vicesimum primum res Romanorum secundum Dionem referuntur, id quod ex fragmento Dionis XXVII apparet. Quin, quae de mutata consulum creandorum ratione scripsit Zonaras, ex Dione sumserit, in dubitationem vocari non potest; prodidit enim memoriae, plebis tribunos, quum de lege agraria, quam Spurius Cassius rogaverat, ageretur, utrumque consulem a patriciis designari, non passos esse, sed, ut ipsa plebs alterum consulem ex patriciis eligeret, flagitasse; quod quum jus creandi plebs adipisceretur, Spurium statim Furium ab ea creatum esse.

Sed Zonaras cur in Coriolani historia vitam ejus a Plutarcho depictam non adhibuerit, equidem nescio. Ignorat enim ita plane eam, ut longe aliter ac Plutarchus res gestas esse narret et nonnulla referat, quae apud Plutarchum non leguntur, ut artem Attii Tulli, qua Romanis persuasit, ut Volscos a ludis Circensibus abire juberent, qua ignominia Volscorum gentes ad arma Romanis inferenda irritati sint. Tum vero in Camilli demum historia Plutarchus Zonarae rursus praeiit, sed in iis tantum, quae ad ipsum Camillum attinent; cetera enim, ut Vejorum obsidionem lacusque Albani emissionem, mutuatus est a Dione, qui in his rebus haud parum a Plutarcho recedit. Jam vero eo est animus advertendus, quod in rebus Camilli describendis etiam Dio Zonarae ad manus fuit, quod ex fragmento XXVIII

*) Cf. fragm. XVIII et XXIV. Peiresciana.

**) Cf. vitam Publicolae cap. III.

***) Cf. excursum de triumpho cap. XXI.

Peiresciano conjicere licet, ubi, ut supra demonstravimus, et Plutarchi et Dionis verba apud Zonaram copulata ac contracta invenies.

Tum usque ad caput XXIV Zonaras sequitur Plutarchum, quem in persequendo bello Gallico, urbe incensa, obsesso Capitolio Brennoque a Camillo victo ad verbum fere exscribit. Etiam ubi Manliana seditio ei memoranda est, initio ducem sibi elegit Plutarchum, cujus verbis manifeste utitur; tum vero a Plutarcho ad Dionem transilit et longe aliter atque Plutarchus rem exponit; nec dubium esse potest, quin hoc loco Dionem habeat auctorem, quum fragmentum XXXI Peirescianum, quamvis mutilum et concisum, eadem de Manlio habeat. Deinde ceteris in rebus, quae incidunt in vitam Camilli, veluti rogatio Liciniana, praetulisse videtur Dionem, e quo fabellam istam de muliebri ambitione, unde Livius et ipse mutatae reipublicae formae originem duxit, in annales suos transscripsit. Reliqua duo hujus libri capita XXV et XXVI Dionem habent auctorem, quibus res ab exitu Camilli ad ruptam Caudinam sponsionem usque continentur. Dionis haec esse fragmentum Ursinianum CXXXXIII affirmat atque comprobat, quod, ne cui dubitatio aliqua relinquatur, cum Zonarae verbis conferatur.

Capite primo libri octavi finem enarrat belli Samnitici eumque Dionis verbis, cujus exstat fragmentum XXXVI Peirescianum, quod ad verbum cum Zonara congruit. Inde a capite secundo usque ad caput sextum bellum cum Tarentinis et cum Pyrrho rege gestum exponitur idque ex Dione, cujus videas inprimis fragmenta CXXXXV et CXXXXVI Ursiniana. Pyrrhi vitam a Plutarcho expressam minime legisse Zonaram satis liquet, eoque majoris haec est momenti pars historiae, quum nisi Zonarae annales superessent, plurima sane de Pyrrhi rebus gestis ignoraremus. Sed haec e Zonara diligentissimus ille Freinshemius in supplementis suis Livianis optime adhibuit, unde tum in ceterorum historicorum libros translata sunt, neglecto vel ne cognito quidem auctore, cui hae res gravissimae debentur. Post Pyrrhi res medio capite VI. Fabricii censura memoratur et Ptolemaei legatio, ex Dione sumta, cujus videas velim fragmentum CXXXXVII Ursinianum. Sequitur Tarenti expugnatio, Milone Romanis urbem tradente. Item caput septimum, quo Quintum Fabium Apollonia-

tibus deditum esse refert, Dionis est, cujus conferas fragmentum XXXXIIII Peirescianum. Inde a capite VIII usque ad cap. XVII bellum Punicum primum narrat, quo in describendo sine ulla dubitatione Dionis verba transscripsit. Polybium, qui unus a nobis de illo bello comparari potest, omnino non vidit, vel si vidit, nulla ejus usus est opera, quippe qui in plurimis rebus longissime ab eo recedat et diversissima referat. Scientiam quidem Polybii habuit aliquam Zonaras; nominat enim eum, ut Romanae historiae scriptorem una cum Dione annalium libri III, c. 7 et ad eum eos omnes, qui Romanorum res cognoscere velint, ablegat, sed num ipse legerit opus ejus egregium, valde dubitamus; in eo autem justam reprehensionem effugere non potest, quod multa ad bellorum Punicorum statum ac conditionem pernoscendam necessaria vel neglexit vel levius tractavit. Itaque quum bellum Punicum primum e Polybii libro excerpere potuerit, nulla tamen ejus apparent documenta; in ceteris autem fusus est Polybius et tam copiose de omnibus rebus agit, ut loquacitas quaedam et iterandi cupiditas in laudibus tribuendis et inculcanda caussarum observatione vitio ei non verti nequeat. Zonaras igitur tantum abfuit, ut ejus generis auctorem exscriberet, ut eum aversaretur detestareturque. Eadem de caussa eum cum Appiano etiam rem habuisse nullam putamus, cujus quidem mentionem facit, atque ita, ut librorum illius historici numerum et argumenta se posse ostendat, sed scribendi ratio Appiani longissime a ratione annalium nostrorum remota est. Appianus enim Romanorum res gestas in singularum provinciarum historias distribuerat; Zonaras contra omnium populorum totiusque orbis terrarum res gestas historiae Judaeorum primum, tum Romanorum astruit, ut, quae nullo fere modo apte conjungi possint vel una referri, conjungat. Verum omnem belli Punici primi historiam a Dione esse transscriptum, fragmenta, quae exstant, Dionis, Peirescianum XXXXIV, Ursiniana CXXXXVIII et CXXXXIX docent. Capitibus XVIII—XX res Romanorum inter bellum Punicum primum et secundum gestae memorantur, quae Dionis sunt omnia testibus fragmentis Peirescianis XXXXV et XXXXVI, Ursinianis CL et CLI.

Sequitur bellum Punicum secundum, quod inde a capite XXI ultimis sex libri octavi capitibus et libro nono usque ad caput XIV admodum copiose enarratur. Quae omnia ex

Dione hausta esse, negare vix poteris, si Dionis fragmenta Peiresciana XXXXV—L, LIV, LVIII—LXII, LXV et LXVI et Ursiniana CLIII—CLV cum historico nostro comparaveris. Plutarchi quidem duae vitae exstant, quas in usum suum convertere potuisset Zonaras, Fabii Maximi et Marcelli, atque si Lampriae, Plutarchi filio, fides habenda est, Scipionis etiam et Hannibalis exstiterunt. Sed ego quidem accuratius investigans rem in nulla Plutarchi vestigia incidi in hac annalium nostrorum parte; neque Fabii et Marcelli vitae, quibus exigua tantummodo pars rerum Punico bello gestarum contineretur, multum ei potuerunt prodesse. Scipionis autem et Hannibalis vitae, quae quidem maximam illius belli partem complexae fuisse videntur, procul dubio Zonaram deficiebant, quas, si habuisset, res certe per Italiam gestas ex Hannibalis vita, res Hispanienses et Libycas ex Scipionis vita excerpisset, neque, quum potior toties Plutarchus ei videretur esse auctor, toties ad Dionem divertisset. At plura Dionis fragmenta ad Fabium pertinentia cum Zonara optime et ad verbum quidem congruunt, nec minus in Marcelli historia nonnulla referuntur, quae aut apud Plutarchum haudquaquam inveniuntur aut longe aliter ab eo traduntur.

Punicum bellum excepit bellum Macedonicum primum adversus Philippum regem capite XV et XVI noni libri. Unde haec sumta sint, pro certo affirmari nequit, etsi hoc certissimum videtur, Plutarchi Flamininum nihil nec rerum, nec verborum ei praebuisse. Itaque haec quoque Dioni tribuimus, praesertim quum fragmentum CXXXXVII Ursinianum cum iis, quae apud Zonaram legimus, optime conveniat, qui tamen hoc loco auctorem suum adeo decurtavit atque coarctavit, ut relictis auctoris verbis hic suis usus esse videatur. Simili modo etiam Catonis majoris vitam, a Plutarcho compositam, non legit Zonaras, sed alium aliquem auctorem in enarrandis ejus rebus capite XVII adhibuit. Mulierum enim contentionem de tollenda lege Oppia multo uberius tradit, quam Plutarchus, et praeter Catonis orationem etiam L. Valerii tribuni plebis, qui auctor fuit, ut ornamenta redderentur mulieribus, mentionem facit, quem Plutarchus plane omisit. Quam ob rem in his rebus Dionem auctorem suspicamur.

Sequuntur capita XVIII—XXI, quibus describitur Flaminini cum Nabide tyranno bellum, quod deinceps bellum cum Antiocho, Syriae rege, Aetolisque gestum excipit. Haec lectu

dignissima Dionis sunt omnia; velim conferas Dionis fragmenta LXVIII—LXX Peiresciana. Memorabilis Ambraciae urbis est obsessio et aeneum scutum humo applicitum, cujus rei rationem Livius (XXXVIII, 7) non satis intelligens, rem longe aliter narrat.

In belli Macedonici secundi historia tradenda vitam quidem Paulli Aemilli a Plutarcho conscriptam ad manus habuit, cujus verba in fine capitis XXIII repetit; quin etiam ipsum Plutarchum nominat. Sed ea, quae antecedunt, a Dione depromsit; fragmenta enim LXXIII—LXXV luculentissime id indicant; itidem capite XXIV Aemilii Paulli laudes ex Dione (fragm. LXXVI) ipsis ejusdem verbis repetit. Sed initio hujus belli multa praeterit, quae referre longum ei videbatur, velut fine capitis XXV quae illis temporibus evenerunt multa, quaeque in Dione suo latius exposita inveniebat, silentio omittit, memoratu digna illa non perhibens. Sed ea, quae capite XXIV et XXV legimus, a Dione mutuatus est, cujus fragmenta CLX—CLXII Ursiniana comparanda sunt.

Capita XXVI et XXVII tertii belli Punici initium memorat, quae Dionis sunt, quum fragmentum LXXVII, Scipionis Africani laudes praedicans, cum Zonara ad verbum conspiret. In reliquis hujus libri capitibus quatuor, quibus bellum contra Andronicum Macedonem gestum et Carthaginis Corinthique excidium legimus, auctores, quibus usus est, nec memorat, nec supersunt fragmenta, e quibus, quem auctorem habuerit, colligi possit. Ex Appiano haec non esse sumta, primo statim adspectu videbis, nam multis rebus ab eo plane differt, quamquam de summa re cum eo consentit. Cum Polybio, cujus haec pars historiarum excidit, nulla comparatio institui potest; Plutarchi etiam vita Scipionis Africani minoris intercidit; ergo et hic non est dubium, quin illae res itidem ex Dione transscriptae sint, cujus fortasse liber vicesimus Corinthi eversionem explicuit. Tum vero in fine hujus libri queritur, quod ob librorum penuriam ceteras populi Romani res per consules dictatoresque gestas referre non possit, quod quidem non factum esse incuria vel inertia, sed per se non stare, opus suum absolutissimum edere, quum et ipse procul ab urbe in parva insula extorris agat, et amici, quibus conquirendorum librorum negotium dederit, vel negligentius in eos inquisierint vel vetustate amissos eos reperire non potuerint. Quaeritur jam, quaenam fuerint illae *βίβλοι τῶν πάλαι ταῦτα ἱστορησάντων ἀρχαίων ἀνδρῶν*, quas hac-

tenus excerpsit, et illae βίβλοι, quibus cetera usque ad imperatorum Romanorum res gestas continebantur, quasque desiderat. Nos vero inquisitione nostra in Zonarae fontes hucusque perducta, si ingenue sententiam nostram proferre jubemus, libros hosce nullos alios esse arbitramur, nisi Dionis libros et Plutarchi vitas, quum manifestum sit, Zonaram usque ad hunc locum alios auctores nullos habuisse. Atque hic transscribere libet, quae Falconius in prolegomenis ad Dionem suum restitutum hac de re judicat. „Zonaras nunquam in „prima hac parte (i. e. historiae Romanae) Dionem citat, quem in secunda saepenumero „laudat, quum exscribit. Quod indicio mihi est, hominem gratum et memorem beneficii „prima parte in acephalum — ateleutum etiam ipse dicit — incidisse Dionis codicem „antiquissimum, ubi solae divisiones librorum et nullae prorsus fuerint praefixae anacephalae- „oses aut Dionis nomen, quod in fronte primi tantum libri, quem deperditum arbitramur, „scriptum fuerit, indeque Zonaram auctoris ignorasse Dionis nomen, quem stylo saltem, „verbis, ingenio, eadem Romana historia cognoscere debuerat, si his animum advertisset.“ Quae sententia an placeat viris doctis, dubito; mihi quidem ita arridet, ut illi adversari non possim, donec melius quid reperiatur ac proponatur.

Quaestione nostra usque ad librum decimum producta, jam, quod ad maximam partem sequentium trium librorum attinet, de auctoribus, quos Zonaras in rem suam converterit, dubii non haerebimus. Capitibus 1—5 Pompeji res gestae usque ad bellum cum Caesare gestum civile continentur, quae ex Plutarchi vita Pompeji sumtae sunt. Sequitur Julii Caesaris historia capite 6—11 ex eodem Plutarcho, cujus vita Caesaris et in enarrandis Pompeji fatis Pompeji etiam vita res verbaque obtulit. Caput duodecimum ex Dionis libri XXXXIV capitibus 4—7 et 20 seqq. passim exscriptum est, honoresque Caesari decreti et Antonii oratio in funere Caesaris habita ad verbum e Dione sumta sunt. Capite XIII—XVII Octaviani res describuntur usque ad triumviratum et bellum cum Bruto et Cassio suscipiendum. Quae sunt apud Dionem libr. 45—47, 16. Capite XX Plutarchum iterum laudat et versum, quem pronuntians Brutus moriendi consilium ceperat, repetit, Porciaeque excelsi animi ex Bruto Plutarchi mentionem facit. Ceterum in omnibus his propositis rebus Dionem sequitur. Eodem modo capitibus 30 et 31 in enarrando Antonii et Cleopatrae interitu e

vita Antonii nonnulla mutuatus est, sed reliqua omnia Dioni, cujus cap. 31 mentionem facit, debentur, qui in sequentibus per totum librum XI et partem libri XII ad caput 16 usque is est, quem ad verbum semper transscribat. Pauca tantummodo ex Eusebii historia ecclesiastica temporis post Christum natum spatio excerpuntur, quibus nil fere continetur, nisi enümeratio episcoporum Hierosolymitanorum et Romanorum. Quem vero in ultimis libri duodecimi capitibus secutus sit Zonaras auctorem, pro certo affirmare nobis non licet. Eundem esse illum verisimillimum est historiarum scriptorem, ex quo et Eutropius historiam suam Romanam et Theophanes Chronographus inde a Diocletiani vita et Cedrenus aliique comportarunt. Quod in dubitationem non vocabis, dummodo verba horum scriptorum inter se conferre velis. Quem ad finem locum quendam, temere abreptum, hic transscribamus, additis iis, quae et Eutropius et Theophanes de eadem re proferunt.

Zonaras XII, 31 haecce habet: *Ἀμάνδου δέ τινος νεωτερίσαντος ἐν Γαλλίαις, Μαξιμιανὸς ἐκεῖσε γενόμενος τὸν νεωτερισμὸν κατέστειλε. Κράσσον τε Βρεττανίας κατεσχηκότα ἐπὶ ἐνιαυτοὺς τρεῖς ὁ ἔπαρχος ἀνεῖλεν Ἀσκληπιόδοτος· καὶ Πέντε τινῶν Γεντιανῶν τὴν Ἀφρικὴν κατασχόντων, ὁ Ἑρκούλιος τούτους κατηγωνίσατο. Ὁ δέ γε Καῖσαρ Κώνστας ἐν ταῖς Γαλλίαις πρὸς Ἀλαμαννοὺς μαχόμενος, τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἥττητο καὶ νενίκηκε. Πρότερον μὲν γὰρ τῶν Ἀλαμαννῶν τῇ αὐτοῦ στρατιᾷ μετὰ ῥύμης ἐφορμησάντων σφοδρᾶς, εἰς φυγὴν ἐτράπησαν ἅπαντες. Οἷς καὶ αὐτὸς ὁ Κώνστας συναποδιδράσκων ἑάλω ἂν παρὰ βραχύ. Ὀπίσω γὰρ ἐρχόμενος κεκλεισμένας εὗρε τὰς πύλας τῆς πόλεως· οἱ δὲ διώκοντες ἐγγίζοντες ἤδη ἕτοιμοι ἦσαν ἐκεῖνον συλλήψεσθαι, καὶ κἂν ἀπήχθη δέσμιος, εἰ μὴ σχοίνους ἐκ τοῦ τείχους ἄνωθεν καθιμήσαντες ταύταις αὐτὸν ἀνιμήσαντο.*

Theophanes pag. 9 ed. Classeni: *Νεωτερισμοῦ γεγονότος ἐν Γαλλίαις ὑπὸ Ἀμάνδου καὶ Αἰλιανοῦ Μαξιμιανὸς ὁ Ἑρκούλιος διαβὰς καθεῖλεν αὐτούς. Ἀλλὰ καὶ Κράσσος ἀντῆρε καὶ Βρεττανίαν κατέσχε, καὶ οἱ Πέντε Γεντιανοὶ τὴν Ἀφρικὴν, καὶ Ἀχιλλεὺς τὴν Αἴγυπτον. Ἀλλὰ Κράσσον μὲν ἐπὶ τρισὶν ἔτεσι τὴν Βρεττανίαν κατασχόντα Ἀσκληπιόδοτος ὁ ἔπαρχος ἀνεῖλεν. Ἐν δὲ ταῖς Γαλλίαις ἀγχίστροφος ἐκ παραδόξου γέγονε Κωνσταντίῳ καίσαρι τύχη. Ἐν ὥραις*

γὰρ] ἐξ τῆς αὐτῆς ἡμέρας καὶ ἡττώμενος ὤφθη καὶ νικῶν ἀπεδείχθη. Ἄρτι μὲν γὰρ ἐπικλύσαντες οἱ Ἀλανοὶ τῷ Κωνσταντίου στρατῷ ἄχρι καὶ εἰς τὰ τείχη κατεδίωξαν. Αὐτὸς δὲ ἠκολούθει τελευταῖος φεύγοντι τῷ στρατῷ. Ἐπειδὴ δὲ κεκλεισμένων τῶν πυλῶν, οὐδὲ ἔσω τοῦ τείχους ἠδυνήθη εἰσελθεῖν, χεῖρας ἐξέτειναν οἱ πολέμιοι πρὸς τὸ συλλαβεῖν αὐτὸν σχοινίοις δὲ, καθέντες ἀπὸ τοῦ τείχους, ἀνείλκυσαν αὐτόν. Ἔσω δὲ γενόμενος, καὶ τὸν στρατὸν παραθαρσύνας, ἐπεξελθὼν τοῖς Ἀλανοῖς, νίκην ἔσχε λαμπρὰν, ὥστε ἑξακισχιλίους πεσεῖν.

Conferatur Eutropii lib. IX, cap. XXII edit. Tsch., item Orosii lib. VII, cap. 25, et Aurelii Victoris de Caesaribus cap. 39.

Quisnam vero fuerit iste auctor, quem omnes hi aliique exscripserunt, omni asseveratione affirmare nequeo. Neque enim in omnibus, quos legi, rerum scriptoribus ulla inveni vestigia, quibus insistens certius aliquid eruere possem. Ipsi enim quum plurimos scriptores enumerent et saepissime laudent, multiplicis librorum lectionis cognitionisque speciem avidissime captantes, eos ipsos libros, quos in usum suum identidem vertunt et ad verbum paene describunt, ne semel vel bis quidem, ac si fit, leviter tantum vel ὡς ἐν παρόδῳ nominant. Ita Zonaras nullo loco omnem suam Romanorum historiam se ab aliis scriptoribus iisque inprimis Dione et Plutarcho mutuatum esse confitetur. Nec alia historiam scribendi magnaque Chronographiae, quam vocant, volumina pangendi ratio in Syncello, Theophane, Cedreno, ceteris fuit. Syncellus quidem haud raro auctores suos nominat, ut Eusebium, Africanum, alios plurimos, sed eo maxime consilio, ut in carpendis illis corrigendisque eorum erroribus, ut perhibet, sibi suoque operi gloriolam quaerat speretque. Theophanes autem, omnium illorum chronographorum, si Zonaram exceperis, facile princeps, multos quidem se libros evolvisse, neque quidquam paene e suo addentem illorum verba in suum opus transscripsisse in prooemio chronographiae profitetur; nomina autem ipsorum auctorum omnium omnino reticet.

Eo quidem consilio haec protulimus, ut inde pateret, in tanta veterum librorum ruina illos solum, unde Zonarae aliorumque opera fluxerunt, investigari indicarique posse fontes,

qui nobis etiamnunc manant, aut quorum vel tenuissimae emicant scaturigines; in deperditis autem libris, quum ne nomina quidem eorum indicentur, nihil esse quaerendum atque eruendum.

Sed haec hactenus. Reliquum mihi est, ut Vos, hujus civitatis proceres et praesides parentesque discipulorum nostrorum et quotquot bonas literas diligitis, sollemnibus, quae supra indiximus, interesse ne dedignemini utque testes adsitis et benevoli judices, omni, qua par est, observantia etiam atque etiam rogemus.

Jahresbericht.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

A. Statistische Verhältnisse der Gelehrtenschule von Ostern 1848 bis Ostern 1849.

1. Lehrercollegium.

1. Prof. L. Zander, Director.
2. Dr. F. Rieck, Rector.
3. P. Bobertag, Conrector.
4. Dr. K. Aldenhoven, Subrector.
5. Dr. C. H. Clauss, erster Collaborator.
6. A. Vieth, zweiter Collaborator.
7. J. D. Tieck.

2. Allgemeiner Lehrplan.

Lehrfächer.	Klassen und Stunden. (R = Realklasse.)							
	I.	II.	III.	IV.	V.	R.III	R.IV	Summa
Lateinisch . . .	9	9	8	8	8	—	—	42
Griechisch . . .	6	6	6	4	—	—	—	22
Deutsch	3	2	2	3	3	—	—	13
Französisch . .	2	2	3	2	—	—	—	9
Englisch	—	—	—	—	—	2	—	2
Hebräisch . . .	2	2	—	—	—	—	—	4
Religion	3	3	3	3	3	—	—	15
Geschichte . .	3	3	2	2	2	—	—	12
Geographie . .	—	—	2	2	2	—	—	6
Naturwissensch.	2	2	2	2	—	—	—	8
Mathematik u. Rechnen . . .	4	4	4	4	4	2 ∽	2	22
Schreiben . . .	—	—	—	2	4	1 ∽	1	7
Gesang	1 ∽	1	1 ∽	1	2	—	—	4
Zeichnen . . .	—	—	—	—	2	—	—	2
Summa	35	34	33	33	30			
Zeichnen . . . (Theilnahme frei gestellt.)		2 ∽	2 ∽	2				

3. Zahl der Schüler von Ostern 1848 bis Ostern 1849.

Klasse.	Waren Ostern 1848.	Aufgenommen in die Schule.	Eingetreten d. Versetzung.	Abgegangen d. Versetzung.	Abgegangen aus der Schule.	Gegenwärtig.
I	8	1	4	—	5	8
II	15	2	2	4	5	10
III	26	4	10	2	8	30
IV	32	7	13	10	9	33
V	32	21	—	12	2	39
Summa	113	35	29	28	29	120